HELPS FOR LATIN STUDENTS

LONDON: PRINTED BY
SPOTTISWOODE AND CO., NEW-STREET SQUARE
AND PARLIAMENT STREET

HELPS

FOR

LATIN STUDENTS

A Series of Extracts from the best known Authors

TOGETHER WITH EXAMINATION PAPERS, CLASSIFIED QUESTIONS ON THE PARTS OF SPEECH, SENTENCES ILLUSTRATING GRAMMATICAL PECULIARITIES FOR TRANSLATION AND RE-TRANSLATION, A CHAPTER ON ETYMOLOGY, ETC.

BY

W. T. JEFFCOTT

(LONDON UNIVERSITY)

VICE-PRINCIPAL OF THE HIGH SCHOOL, MARGATE; AND

G. J. TOSSELL

(LONDON UNIVERSITY)

SENIOR ASSISTANT-MASTER IN THE HIGH SCHOOL, MARGATE

Joint Editors of 'The French Newspaper Reader' 'The German Newspaper Reader' 'The Lay of the Last Minstrel' 'The School Manual' &c.

LONDON

LONGMANS, GREEN, AND CO.

1883

PREFACE.

THE appearance of a new Latin Reader requires a word of explanation. It is not that the Editors pretend to present to the readers of the book any new or specially good selection from the Classics: but they venture to hope that the volume will be a most useful classbook to have as a companion to the Latin Grammar and whatever book may be used in the class for translation. It not only contains a very good selection of readings from the best authors, but it also includes examination papers on the accidence and the easier rules of syntax; classified questions on the uses, meaning and government of various parts of speech; a collection of sentences each containing some grammatical fault to be corrected by the pupil; also a number of homonyms, and useful phrases to be committed to memory; a collection of sentences introducing various grammatical

difficulties for translation by the class; and lastly, an etymological catalogue of about two hundred words, the derivations of which have been asked in the various public examinations, so that it provides a most valuable note-book and test paper for students.

There are three special advantages with regard to the arrangement of this book which are worthy of note:—

(1) Portions of it can be used very well as test exercises without preparation—*e.g.* in the lowest forms, those sentences given for correction; in the middle forms, the classified questions or the sentences for translation; in the upper forms, the extracts as practice in unseen translation.

(2) Other portions, such as the papers on accidence and the classified questions, might very well be given as lessons for preparation and there is a great inducement for this, as a space has been left at the bottom of the page for notes taken in class such as the master may think necessary to give.

(3) The papers and the questions are graduated with such nicety that they present work for the lower, as well as the higher, forms, so that the book

may well be adopted in a whole school. The great advantage of this plan would be that boys from the first moment of adopting it would begin to know, and as years went by would more and more realise, what a storehouse of useful knowledge was contained in the book, in the collection of difficult phrases, in the table of homonyms and in the catalogue of derivations. So by continual acquaintance with the book, both boys and masters would learn its value, and would recognise that it is really, according to its title: 'A Help to the Study of Latin.'

GEORGE WHARTON ROBINSON, M.A. Oxon.

The High School, Margate.

HELPS

FOR

LATIN STUDENTS.

SELECTIONS FROM LATIN AUTHORS.

CÆSAR.—*De Bell. Gall.* V. xiii. xiv.

INSULA natura triquetra, cujus unum latus est contra Galliam. Hujus lateris alter angulus—qui est ad Cantium, quò fere omnes ex Galliâ naves appelluntur—ad orientem solem, inferior ad meridiem, spectat. Hoc latus tenet circiter millia passuum quingenta. Alterum vergit ad Hispaniam atque occidentem solem, quâ ex parte est Hibernia, dimidio minor, ut æstimatur, quàm Britannia; sed pari spatio transmissus, atque ex Galliâ, est in Britanniam. In hoc medio cursu est insula, quæ appellatur Mona; complures præterea minores objectæ insulæ existimantur; de quibus insulis nonnulli scripserunt dies continuos triginta sub brumâ esse noctem. Nos nihil de eo percontationibus reperiebamus, nisi certis ex aquâ mensuris breviores esse, quàm in continente, noctes videbamus. Hujus est longitudo lateris, ut fert illorum opinio, septingentorum millium. Tertium est contra septentriones, cui parti nulla est objecta terra; sed ejus angulus lateris maximè ad Germaniam

spectat: huic millia passuum octingenta in longitudinem esse existimatur. Ita omnis insula est in circuitu vicies centum millium passuum.

Ex his omnibus longe sunt humanissimi, qui Cantium incolunt, quæ regio est maritima omnis; neque multùm a Gallicâ differunt consuetudine. Interiores plerique frumenta non serunt, sed lacte et carne vivunt, pellibusque sunt vestiti. Omnes verò se Britanni vitro inficiunt, quod cæruleum efficit colorem, atque hoc horridiore sunt in pugnâ aspectu: capilloque sunt promisso, atque omni parte corporis rasâ præter caput et labrum superius.

VIRGIL.—*Æneid* I. 1.

Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Laviniaque venit
Litora; multum ille et terris jactatus et alto
Vi superûm, sævæ memorem Junonis ob iram:
Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem,
Inferretque deos Latio: genus unde Latinum,
Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.
Musa, mihi causas memora, quo numine læso
Quidve dolens, regina deûm tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores,
Impulerit. Tantæne animis cœlestibus iræ?

HORACE.—*Odes* II. xiv.

Eheu fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni nec pietas moram
Rugis et instanti senectæ
Afferet indomitæque morti;

Non, si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrimabilem
Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonen Tityonque tristi
Compescit unda, scilicet omnibus,
Quicunque terræ munere vescimur,
Enaviganda, sive reges
Sive inopes erimus coloni.
Frustra cruento Marte carebimus
Fractisque rauci fluctibus Hadriæ,
Frustra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum:
Visendus ater flumine languido
Cocytos errans et Danai genus
Infame damnatusque longi
Sisyphus Æolides laboris.
Linquenda tellus et domus et placens
Uxor, neque harum, quas colis, arborum
Te præter invisas cupressos
Ulla brevem dominum sequetur.
Absumet heres Cæcuba dignior
Servata centum clavibus et mero
Tinget pavimentum superbo,
Pontificum potiore cœnis.

NEPOS.—*Epaminondas.*

Epaminondas, Polymnis filius, Thebanus. De quo priusquam scribimus, hæc præcipienda videntur lectoribus, ne alienos mores ad suos referant; neve ea, quæ ipsis leviora sunt, pari modo apud cæteros fuisse arbitrentur. Scimus enim musicen nostris moribus abesse a principis persona, saltare vero etiam in vitiis poni.

Quæ omnia apud Græcos et grata et laude digna ducuntur. Cum autem exprimere imaginem consuetudinis atque vitæ velimus Epaminondæ, nihil videmur debere prætermittere, quod pertineat ad eam declarandam. Quare dicemus primum de genere ejus, deinde quibus disciplinis et a quibus sit eruditus, tum de moribus ingeniique facultatibus, et si qua alia memoria digna erunt; postremo de rebus gestis, quæ a plurimis omnium anteponuntur virtutibus.

Fuit etiam disertus, ut nemo ei Thebanus par esset eloquentia, neque minus concinnus in brevitate respondendi, quam in perpetua oratione ornatus. Habuit obtrectatorem Meneclidam quemdam indidem Thebis, et adversarium in administranda republica, satis exercitatum in dicendo, ut Thebanum scilicet. Namque illi genti plus inest virium, quam ingenii. Is quod in re militari florere Epaminondam videbat, hortari solebat Thebanos, ut pacem bello anteferrent, ne illius imperatoris opera desideraretur. Huic ille: 'Fallis,' inquit, 'verbo cives tuos, quod hos a bello avocas; otii enim nomine servitutem concilias: nam paritur pax bello. Itaque qui ea diutina volunt frui bello exercitati esse debent. Quare si principes Græciæ vultis esse, castris est vobis utendum, non palæstra.'

VIRGIL.—*Æneid* II. 13.

Fracti bello fatisque repulsi,
Ductores Danaûm, tot jam labentibus annis,
Instar montis equum, divinâ Palladis arte,
Ædificant; sectâque intexunt abiete costas.
Votum pro reditu simulant: ea fama vagatur.
Huc delecta virûm sortiti corpora furtim

Includunt cæco lateri; penitusque cavernas
Ingentes uterumque armato milite complent.
Est in conspectu Tenedos, notissima famâ
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant;
Nunc tantum sinus et statio malefida carinis:
Huc se provecti deserto in litore condunt:
Nos abiisse rati et vento petiisse Mycenas.
Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu:
Panduntur portæ: juvat ire, et Dorica castra
Desertosque videre locos litusque relictum.
Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat Achilles:
Classibus hic locus: hic acies certare solebant.
Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ,
Et molem mirantur equi: primusque Thymœtes
Duci intra muros hortatur, et arce locari;
Sive dolo, seu jam Trojæ sic fata ferebant.
At Capys, et quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaûm insidias suspectaque dona
Præcipitare jubent, subjectisque urere flammis;
Aut terebrare cavas uteri et tentare latebras.
Scinditur incertum studia in contraria vulgus.
Primus ibi ante omnes, magnâ comitante catervâ,
Laocoön ardens summâ decurrit ab arce;
Et procul: 'O miseri, quæ tanta insania, cives?
Creditis avectos hostes? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaûm? sic notus Ulixes?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi;
Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura domos venturaque desuper urbi;
Aut aliquis latet error: equo ne credite, Teucri.
Quicquid id est, timeo Danaos et dona ferentes.'
Sic fatus, validis ingentem viribus hastam
In latus, inque feri curvam compagibus alvum

Contorsit: stetit illa tremens, uteroque recusso
Insonuêre cavæ gemitumque dedêre cavernæ.

Nepos.—*Miltiades.*

Darius autem cum ex Europa in Asiam redisset, hortantibus amicis, ut Græciam redigeret in suam potestatem, classem quingentarum navium comparavit, eique Datim præfecit et Artaphernem, hisque ducenta peditum, decem millia equitum dedit, causam interserens se hostem esse Atheniensibus, quod eorum auxilio Iones Sardis expugnassent suaque præsidia interfecissent. Illi præfecti regii, classe ad Eubœam appulsa, celeriter Eretriam ceperunt omnesque ejus gentis cives abreptos in Asiam ad regem miserunt. Inde ad Atticam accesserunt ac suas copias in campum Marathona deduxerunt. Is est ab oppido circiter millia passuum decem. Hoc tumultu Athenienses tam propinquo tamque magno permoti auxilium nusquam nisi a Lacedæmoniis petiverunt, Phidippidemque cursorem ejus generis, qui ἡμεροδρόμοι vocantur, Lacedæmonem miserunt, ut nuntiaret, quam celeri opus esset auxilio. Domi autem creant decem prætores, qui exercitui præessent, in iis Miltiadem, inter quos magna fuit contentio, utrum mœnibus defenderent, an obviam irent hostibus acieque decernerent. Unus Miltiades maxime nitebatur, ut primo quoque tempore castra fierent: id si factum esset, et civibus animum accessurum, cum viderent de eorum virtute non desperari, et hostes eadem re fore tardiores, si animadverterent auderi adversus se tam exiguis copiis dimicare.

VIRGIL.—*Eclogue* IX. 46.

Mœris.

M. Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?
Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum,
Astrum, quo segetes gauderent frugibus et quo
Duceret apricis in collibus uva colorem.
Insere, Daphni, piros: carpent tua poma nepotes.
Omnia fert ætas, animum quoque: sæpe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles;
Nunc oblita mihi tot carmina; vox quoque Mœrim
Jam fugit ipsa: lupi Mœrim videre priores.
Sed tamen ista satis referet tibi sæpe Menalcas.

HORACE.—*Epistolæ* I. xix. 35.

Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector
Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus:
Non ego ventosæ plebis suffragia venor
Impensis cœnarum et tritæ munere vestis;
Non ego nobilium scriptorum auditor et ultor
Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor.
Hinc illæ lacrimæ. 'Spissis indigna theatris
Scripta pudet recitare et nugis addere pondus'
Si dixi, 'rides' ait 'et Jovis auribus ista
Servas: fidis enim manare poëtica mella
Te solum, tibi pulcher.' Ad hæc ego naribus uti
Formido et, luctantis acuto ne secer ungui,
'Displicet iste locus' clamo et diludia posco;
Ludus enim genuit trepidum certamen et iram,
Ira truces inimicitias et funebre bellum.

HORACE.—*Odes* I. 22.

Integer vitæ scelerisque purus
Non eget Mauris jaculis neque arcu
Nec venenatis gravida sagittis,
    Fusce, pharetra,
Sive per Syrtes iter æstuosas
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum vel quæ loca fabulosus
    Lambit Hydaspes.
Namque me silva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen et ultra
Terminum curis vagor expeditis,
    Fugit inermem,
Quale portentum neque militaris
Daunias latis alit æsculetis,
Nec Jubæ tellus generat, leonum
    Arida nutrix.
Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor æstiva recreatur aura,
Quod latus mundi nebulæ malusque
    Jupiter urget;
Pone sub curru nimium propinqui
Solis in terra domibus negata:
Dulce ridentem Lalagen amabo,
    Dulce loquentem.

CORNELIUS NEPOS.—*Hannibal's Oath.*

'Pater meus,' inquit, 'Hamilcar, puerulo me, utpote non amplius novem annos nato, in Hispaniam imperator proficiscens, Carthagine Jovi Optimo Maximo hostias immolavit. Quæ divina res dum conficiebatur, quæ-

sivit a me, vellemne secum in castra proficisci. Id cum libenter accepissem, atque ab eo petere cœpissem, ne dubitaret ducere, tum ille, faciam, inquit, si fidem mihi, quam postulo, dederis. Simul me ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat, eamque, cæteris remotis, tenentem jurare jussit, nunquam me in amicitia cum Romanis fore. Id ego jusjurandum patri datum usque ad hanc ætatem ita conservavi, ut nemini dubium esse debeat, quin reliquo tempore eadem mente sim futurus. Quare si quid amice de Romanis cogitabis, non imprudenter feceris, si me celâris. Cum quidem bellum parabis, te ipsum frustraberis, si non me in eo principem posueris.'

PHÆDRUS IV.—Fab. iii. *De Vulpe et Uva.*

Fame coacta vulpes alta in vinea
Uvam appetebat summis saliens viribus;
Quam tangere ut non potuit, discedens ait,
'Nondum matura est; nolo acerbam sumere.'
Qui facere quæ non possunt, verbis elevant,
Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

PHÆDRUS IV.—Fab. xix. *Serpens. Misericordia nociva.*

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.
Gelu rigentem quidam colubram sustulit
Sinuque fovit, contra se ipse misericors:
Namque ut refecta est, necuit hominem protinus.
Hanc alia quum rogaret causam facinoris,
Respondit, 'Ne quis discat prodesse improbis.'

CÆSAR.—*De Bell. Gall.* II. xxx.

Ac primo adventu exercitûs nostri crebras ex oppido excursiones faciebant, parvulisque prœliis cum nostris contendebant: postea, vallo pedum duodecim, in circuitu quindecim millium, crebrisque castellis circummuniti, oppido sese continebant. Ubi, vineis actis, aggere exstructo, turrim procul constitui viderunt, primùm irridere ex muro, atque increpitare vocibus, quò tanta machinatio ab tanto spatio institueretur? quibusnam manibus, aut quibus viribus, præsertim homines tantulæ staturæ—nam plerumque hominibus Gallis, præ magnitudine corporum suorum, brevitas nostra contemptui est,—tanti oneris turrim in muros sese collocare confiderent?

Ubi verò moveri et appropinquare mœnibus viderunt, novâ atque inusitatâ specie commoti, legatos ad Cæsarem de pace miserunt, qui ad hunc modum locuti: Non se existimare Romanos sine ope divinâ bellum gerere, qui tantæ altitudinis machinationes tantâ celeritate promovere, et ex propinquitate pugnare, possent: se suaque omnia eorum potestati permittere, dixerunt. Unum petere ac deprecari: si forte, pro suâ clementiâ ac mansuetudine, quam ipsi ab aliis audirent, statuisset Aduatucos esse conservandos ne se armis despoliaret: sibi omnes fere finitimos esse inimicos, ac suæ virtuti invidere; a quibus se defendere, traditis armis, non possent. Sibi præstare, si in eum casum deducerentur, quamvis fortunam a Populo Romano pati, quàm ab his per cruciatum interfici, inter quos dominari consuêssent.

Ad hæc Cæsar respondit: Se magis consuetudine suâ, quàm merito eorum, civitatem conservaturum, si

priùs, quàm murum aries attigisset, se dedidissent: sed deditionis nullam esse conditionem, nisi armis traditis: se id, quod in Nerviis fecisset, facturum, finitimisque imperaturum, ne quam dedititiis Populi Romani injuriam inferrent. Re nuntiatâ ad suos, quæ imperarentur, facere dixerunt. Armorum magnâ multitudine de muro in fossam, quæ erat ante oppidum, jactâ, sic ut prope summam muri aggerisque altitudinem acervi armorum adæquarent—et tamen circiter parte tertiâ, ut posteà perspectum est, celatâ atque in oppido retentâ—portis patefactis, eo die pace sunt usi.

SALLUST.—*Catiline* XXXIV.

Ad hæc Q. Marcius respondit, si quid ab senatu petere vellent, ab armis discedant. Romam supplices proficiscantur: eâ misericordiâ atque mansuetudine senatum populumque Romanum semper fuisse, ut nemo unquam ab eo frustrà auxilium petiverit. At Catilina ex itinere plerisque consularibus, prætereà optumo cuique, literas mittit: se, falsis criminibus circumventum, quoniam factioni inimicorum resistere nequiverit, fortunæ cedere, Massiliam in exilium proficisci; non quò sibi tanti sceleris conscius esset; sed uti respublica quieta foret, neve ex suâ contentione seditio oriretur. Ab his longè diversas litteras Q. Catulus in senatu recitavit, quas sibi nomine Catilinæ redditas dicebat.

HORACE.—*Odes* I. xiv.

O navis, referent in mare te novi
Fluctus. O quid agis? Fortiter occupa
Portum. Nonne vides, ut
Nudum remigio latus

Et malus celeri saucius Africo
Antennæque gemant ac sine funibus
  Vix durare carinæ
    Possint imperiosius
Æquor? Non tibi sunt integra lintea,
Non Dî, quos iterum pressa voces malo.
  Quamvis Pontica pinus,
    Silvæ filia nobilis,
Jactes et genus et nomen inutile,
Nil pictis timidus navita puppibus
  Fidit. Tu, nisi ventis
    Debes ludibrium, cave.
Nuper sollicitum quæ mihi tædium,
Nunc desiderium curaque non levis,
  Interfusa nitentes
    Vites æquora Cycladas.

VIRGIL.—*Æneid* II. 199.

Hic aliud majus miseris multoque tremendum
Objicitur magis, atque improvida pectora turbat.
Laocoön, ductus Neptuno sorte sacerdos,
Solemnes taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus arrecta, jubæque
Sanguineæ exsuperant undas; pars cetera pontum
Pone legit, sinuatque immensa volumine terga.
Fit sonitus spumante salo: jamque arva tenebant,
Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
Diffugimus visu exsangues. Illi agmine certo

Laocoönta petunt: et primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Implicat, et miseros morsu depascitur artus.
Post ipsum auxilio subeuntem ac tela ferentem
Corripiunt spirisque ligant ingentibus: et jam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati, superant capite et cervicibus altis.
Ille simul manibus tendit divellere nodos,
Perfusus sanie vittas atroque veneno;
Clamores simul horrendos ad sidera tollit:
Quales mugitus, fugit quum saucius aram
Taurus et incertam excussit cervice securim.
At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt sævæque petunt Tritonidis arcem,
Sub pedibusque Deæ clypeique sub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor; et scelus expendisse merentem
Laocoönta ferunt, sacrum qui cuspide robur
Læserit et tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulacrum orandaque Divæ
Numina conclamant.

Cicero.—*De Senectute* XII.

Sequitur tertia vituperatio senectutis, quòd eam carere dicunt voluptatibus. O præclarum munus ætatis, si quidem id aufert nobis, quod est in adolescentiâ vitiosissimum! Accipite enim, optimi adolescentes, veterem orationem Archytæ Tarentini, magni in primis et præclari viri, quæ mihi tradita est, quum essem adolescens Tarenti cum Q. Maximo. 'Nullam capitaliorem pestem quàm corporis voluptatem hominibus dicebat a naturâ datam; cujus voluptatis avidæ

libidines temere et effrenatè ad potiundum incitarentur.

'Hinc patriæ proditiones, hinc rerumpublicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci; nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret; stupra verò et adulteria et omne tale flagitium nullis excitari aliis illecebris, nisi voluptatis. Quumque homini sive natura sive quis Deus nihil mente præstabilius dedisset, huic divino muneri ac dono nihil esse tam inimicum quàm voluptatem.

'Nec enim, libidine dominante, temperantiæ locum esse, neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Quod quò magis intelligi posset, fingere animo jubebat tantâ incitatum aliquem voluptate corporis, quanta percipi posset maxima: nemini censebat fore dubium quin tandiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset. Quocirca nihil esse tam detestabile tamque pestiferum quàm voluptatem; siquidem ea, quum major esset atque longior, omne animi lumen exstingueret.'

HORACE.—*Ars Poetica*, 434.

Reges dicuntur multis urgere culullis
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus: si carmina condes,
Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes:
Quinctilio si quid recitares, 'Corrige sodes
Hoc,' aiebat, 'et hoc.' Melius te posse negares,
Bis terque expertum frustra, delere jubebat
Et male tornatos incudi reddere versus.
Si defendere delictum quam vertere malles,

Nullum ultra verbum aut operam insumebat inanem;
Quin sine rivali teque et tua solus amares.
Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomptis allinet atrum
Traverso calamo signum, ambitiosa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit,
Fiet Aristarchus; non dicet, 'Cur ego amicum
Offendam in nugis?' Hæ nugæ seria ducent
In mala derisum semel exceptumque sinistre.

CICERO.—*De Senectute* VII.

At memoria minuitur.—Credo, nisi eam exerceas, aut si sis naturâ tardior. Themistocles omnium civium perceperat nomina; num igitur censetis eum, quum ætate processisset, qui Aristides esset, Lysimachum salutare solitum? Equidem non modò eos novi, qui sunt, sed eorum patres etiam et avos. Nec, sepulcra legens, vereor, quod aiunt, ne memoriam perdam; his enim ipsis legendis redeo in memoriam mortuorum. Nec vero quemquam senum audivi oblitum quo loco thesaurum obruisset. Omnia quæ curant, meminerunt: vadimonia constituta; qui sibi, quibus ipsi debeant.

Quid jurisconsulti? quid pontifices? quid augures? quid philosophi senes? quàm multa meminerunt! Manent ingenia senibus, modò permaneat studium et industria; nec ea solùm in claris et honoratis viris, sed in vitâ etiam privatâ et quietâ. Sophocles ad summam senectutem tragœdias fecit. Quod propter studium quum rem familiarem negligere videretur, a filiis in judicium vocatus est, ut, quemadmodum nostro

more malè rem gerentibus patribus bonis interdici solet, sic illum, quasi desipientem, a re familiari removerent judices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat et proximè scripserat, Œdipum Coloneum, recitâsse judicibus, quæsîsseque num illud carmen desipientis videretur. Quo recitato, sententiis judicum est liberatus.

LUCAN.—*Pharsalia* II. 505.

Et jam moturas ingentia pondera turres
Erigit, et mediis subrepsit vinea muris:
Ecce, nefas belli, reseratis agmina portis
Captivum traxere ducem, civisque superbi
Constitit ante pedes. Vultu tamen alta minaci
Nobilitas recta ferrum cervice poposcit.
Scit Cæsar pœnamque peti, veniamque timeri.
'Vive, licet nolis, et nostro munere,' dixit,
'Cerne diem. Victis jam spes bona partibus esto,
Exemplumque mei: vel, si libet, arma retenta;
Et nihil hac venia, si viceris ipse, paciscor.'
Fatur, et adstrictis laxari vincula palmis
Imperat. Heu quanto melius vel cæde peracta
Parcere Romano potuit fortuna pudori;
Pœnarum extremum cui fit, quod castra secutus
Sit patriæ Magnumque ducem totumque senatum,
Ignosci. Premit ille graves interritus iras,
Et secum: 'Romamne petes, pacisque recessus,
Degener? In medios belli non ire furores,
Jamdudum moriture, paras? Rue certus, et omnes
Lucis rumpe moras, et Cæsaris effuge munus.'

TACITUS.—*Historiæ* I. lvi.

Nocte quæ Kalendas Januarias secuta est, in coloniam Agrippinensem aquilifer quartæ legionis epulanti Vitellio nuntiat, quartam et duoetvicesimam legiones, projectis Galbæ imaginibus, in senatus ac populi Romani verba jurâsse. Id sacramentum inane visum: occupari nutantem fortunam et offerri principem placuit. Missi a Vitellio ad legiones legatosque qui descivisse a Galba superiorem exercitum nuntiarent: proinde aut bellandum adversus desciscentes aut, si concordia et pax placeat, faciendum imperatorem: et minore discrimine sumi principem quam quæri.

Proxima legionis primæ hiberna erant et promptissimus e legatis Fabius Valens. Is die proximo coloniam Agrippinensem cum equitibus legionis auxiliariorumque gressus imperatorem Vitellium consalutavit. Secutæ ingenti certamine ejusdem provinciæ legiones; et superior exercitus, speciosis senatus populique Romani nominibus relictis, tertium Nonas Januarias Vitellio accessit: scires illum priore biduo non penes rempublicam fuisse. Ardorem exercituum Agrippinenses, Treveri, Lingones æquabant, auxilia equos arma pecuniam offerentes, ut quisque corpore opibus ingenio validus. Nec principes modo coloniarum aut castrorum, quibus præsentia ex affluenti et parta victoria magnæ spes, sed manipuli quoque et gregarius miles viatica sua et balteos phalerasque, insignia armorum argento decora, loco pecuniæ tradebant, instinctu et impetu et avaritia.

LIVY, II. v.

Direptis bonis regum damnati proditores sumptumque supplicium, conspectius eo quod pœnæ capiendæ

ministerium patri de liberis consulatus imposuit, et, qui spectator erat amovendus, eum ipsum fortuna exactorem supplicii dedit. Stabant deligati ad palum nobilissimi juvenes: sed a ceteris, velut ab ignotis capitibus, consulis liberi omnium in se averterant oculos, miserebatque non pœnæ magis homines quam sceleris quo pœnam meriti essent: illos eo potissimum anno patriam liberatam, patrem liberatorem, consulatum ortum ex domo Junia, patres, plebem, quidquid deorum hominumque Romanorum esset, induxisse in animum, ut superbo quondam regi, tum infesto exuli proderent. Consules in sedem processere suam, missique lictores ad sumendum supplicium: nudatos virgis cædunt securique feriunt, cum inter omne tempus pater vultusque et os ejus spectaculo esset eminente animo patrio inter publicæ pœnæ ministerium. Secundum pœnam nocentium, ut in utramque partem arcendis sceleribus exemplum nobile esset, præmium indici pecunia ex ærario, libertas et civitas data. Ille primum dicitur vindicta liberatus: quidam vindictæ quoque nomen tractum ab illo putant; Vindicio ipsi nomen fuisse.

TACITUS.—*Germania* X.

Auspicia sortesque ut qui maxime observant: sortium consuetudo simplex: virgam frugiferæ arbori decisam in surculos amputant eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt: mox, si publice consultetur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse pater familiæ, precatus deos cœlumque suspiciens ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur: si pro-

hibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio; sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur: et illud quidem etiam hic notum, avium voces volatusque interrogare: proprium gentis equorum quoque præsagia ac monitus experiri: publice aluntur isdem nemoribus ac lucis, candidi et nullo mortali opere contacti: quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps civitatis comitantur, hinnitusque ac fremitus observant: nec ulli auspicio major fides, non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes; se enim ministros deorum, illos conscios putant. Est et alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorantur; ejus gentis, cum qua bellum est, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committunt: victoria hujus vel illius pro præjudicio accipitur.

HORACE.—*Epistolæ* I. xx. *Ad Librum suum.*

Vertumnum Janumque, liber, spectare videris,
Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.
Odisti claves et grata sigilla pudico;
Paucis ostendi gemis et communia laudas,
Non ita nutritus. Fuge, quo descendere gestis.
Non erit emisso reditus tibi. 'Quid miser egi?
Quid volui?' dices, ubi quis te læserit; et scis
In breve te cogi, quum plenus languet amator.
Quod si non odio peccantis desipit augur,
Carus eris Romæ, donec te deserat ætas;
Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi
Cœperis, aut tineas pasces taciturnus inertes,
Aut fugies Uticam aut vinctus mitteris Ilerdam.

Ridebit monitor non exauditus, ut ille,
Qui male parentem in rupes protrusit asellum
Iratus: quis enim invitum servare laboret?
Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
Occupet extremis in vicis balba senectus.
Quum tibi sol tepidus plures admoverit aures,
Me libertino natum patre et in tenui re
Majores pennas nido extendisse loqueris,
Ut quantum generi demas, virtutibus addas;
Me primis Urbis belli placuisse domique;
Corporis exigui, præcanum, solibus aptum,
Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.
Forte meum si quis te percontabitur ævum,
Me quater undenos sciat implevisse Decembres,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

CICERO.—*Pro Archia Poeta* I.

Si quid est in me ingenii, judices, quod sentio quam sit exiguum, aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non infitior mediocriter esse versatum, aut si hujusce rei ratio aliqua, ab optimarum artium studiis ac disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruisse, earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere prope suo jure debet. Nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium præteriti temporis et pueritiæ memoriam recordari ultimam, inde usque repetens hunc video mihi principem et ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisse. Quod si hæc vox, hujus hortatu præceptisque conformata, nonnullis aliquando saluti fuit, a quo id accepimus, quo ceteris opitulari et alios ser-

vare possemus, huic profecto ipsi, quantum est situm in nobis, et opem et salutem ferre debemus. Ac ne quis a nobis hoc ita dici forte miretur, quod alia quædam in hoc facultas sit ingenii, neque hæc dicendi ratio aut disciplina, ne nos quidem huic uni studio penitus umquam dediti fuimus. Etenim omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur.

Cicero.—*Pro Lege Manilia* XVII.

Quare quum et bellum sit ita necessarium, ut negligi non possit, ita magnum, ut accuratissime sit administrandum, et quum ei imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna: dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod vobis ab diis immortalibus oblatum et datum est, in rempublicam conservandam atque amplificandam conferatis? Quod si Romæ Cn. Pompeius privatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittendus. Nunc, quum ad ceteras summas utilitates hæc quoque opportunitas adjungatur, ut in iis ipsis locis adsit, ut habeat exercitum, ut ab iis, qui habent, accipere statim possit, quid exspectamus? aut cur non, ducibus diis immortalibus, eidem, cui cetera summa cum salute reipublicæ commissa sunt, hoc quoque bellum regium committimus?

Sallust.—*Jugurtha* XV.

Postquam rex finem loquendi fecit, legati Jugurthæ, largitione magis, quam causâ, freti, paucis respondent:

Hiempsalem, ob sævitiam suam, ab Numidis interfectum: Adherbalem, ultro bellum inferentem, postquam superatus sit, queri, quod injuriam facere nequîsset: Jugurtham ab senatu petere, ne se alium putaret ac Numantiæ cognitus esset; neu verba inimici ante facta sua poneret. Deinde utrique curiâ egrediuntur. Senatus statim consulitur: fautores legatorum, prætereà magna pars, gratia depravata, Adherbalis dicta contemnere; Jugurthæ virtutem laudibus extollere; gratiâ, voce, denique omnibus modis, pro alieno scelere et flagitio, suâ quasi pro gloriâ, nitebantur. At contra pauci, quibus bonum et æquum divitiis carius erat, subveniendum Atherbali, et Hiempsalis mortem severè vindicandam censebant.

HORACE:—*Odes* II. iii. *Ad Dellium.*

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
  Ab insolenti temperatam
    Lætitia, moriture Delli,
Seu mæstus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
  Festos reclinatum bearis
    Interiore nota Falerni.
Quo pinus ingens albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
  Ramis? Quid obliquo laborat
    Lympha fugax trepidare rivo?
Huc vina et unguenta et nimium breves
Flores amœnæ ferre jube rosæ,

Dum res et ætas et Sororum
Fila trium patiuntur atra.
Cedes coëmptis saltibus et domo
Villaque, flavus quam Tiberis lavit,
Cedes, et exstructis in altum
Divitiis potietur heres.
Divesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper et infima
De gente sub divo moreris,
Victimi nil miserantis Orci.
Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur urna serius ocius
Sors exitura et nos in æternum
Exilium impositura cymbæ.

Cornelius Nepos.—*Alcibiades.*

Educatus est Alcibiades in domo Pericli (privignus enim ejus fuisse dicitur,) eruditus a Socrate. Socerum habuit Hipponicum, omnium Græca lingua loquentium ditissimum, ut, si ipse fingere vellet, neque plura bona reminisci neque majora posset consequi, quam vel fortuna vel natura tribueret. Natus in amplissima civitate, summo genere, omnium ætatis suæ multo formosissimus, ad omnes res aptus consiliique plenus. Namque imperator fuit summus et mari et terra; disertus, ut in primis dicendo valeret, quod tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei dicendo posset resistere; dives; cum tempus posceret, laboriosus, patiens, liberalis, splendidus non minus in vita quam victu; affabilis, blandus, temporibus callidissime serviens.

JUVENAL.—*Satiræ* X. 114–132.

Eloquium ac famam Demosthenis, aut Ciceronis
Incipit optare et totis Quinquatribus optat,
Quisquis adhuc uno parcam colit asse Minervam,
Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.
Eloquio sed uterque perit orator, utrumque
Largus et exundans leto dedit ingenii fons.
Ingenio manus est et cervix cæsa; nec umquam
Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli.
'O fortunatam natam me consule Romam!'
Antoni gladios potuit contemnere, si sic
Omnia dixisset. Ridenda poëmata malo,
Quam te conspicuæ, divina Philippica, famæ,
Volveris a prima quæ proxima. Sævus et illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ
Torrentem et pleni moderantem frena theatri.
Dîs ille adversis genitus fatoque sinistro,
Quem pater ardentis massæ fuligine lippus
A carbone et forcipibus gladiosque parante
Incude et luteo Vulcano ad rhetora misit.

HORACE.—*Odes* IV. iv. *Ad Urbem Romam.*

Qualem ministrum fulminis alitem,
Cui rex deorum regnum in aves vagas
  Permisit expertus fidelem
    Jupiter in Ganymede flavo
Olim juventas et patrius vigor
Nido laborum propulit inscium,
  Vernique jam nimbis remotis
    Insolitos docuere nisus

Venti paventem, mox in ovilia
Demisit hostem vividus impetus,
  Nunc in reluctantes dracones
    Egit amor dapis atque pugnæ;
Qualemve lætis caprea pascuis
Intenta fulvæ matris ab ubere
  Jam lacte depulsum leonem,
    Dente novo peritura, vidit:
Videre Rætis bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici; quibus
  Mos unde deductus per omne
    Tempus Amazonia securi
Dextras obarmet, quærere distuli,
Nec scire fas est omnia; sed diu
  Lateque victrices catervæ,
    Consiliis juvenis revictæ,
Sensere quid mens rite, quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus
  Posset, quid Augusti paternus
    In pueros animus Nerones.

CICERO.—*Pro Lege Manilia* X.

Jam vero virtuti Cn. Pompeii quæ potest par oratio inveniri? Quid est, quod quisquam aut dignum illo aut vobis novum aut cuiquam inauditum possit afferre? Neque enim illæ sunt solæ virtutes imperatoriæ, quæ vulgo existimantur, labor in negotio, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo: quæ tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus aut audivimus, non fuerunt. Testis est Italia, quam ille ipse victor, L.

Sulla, hujus virtute et subsidio confessus est liberatam. Testis est Sicilia, quam multis undique cinctam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilii, explicavit. Testis est Africa, quæ magnis oppressa hostium copiis, eorum ipsorum sanguine redundavit. Testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter Gallorum internecione patefactum est. Testis est Hispania, quæ sæpissime plurimos hostes ab hoc superatos prostratosque conspexit. Testis est iterum et sæpius Italia, quæ, quum servili bello tætro periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente expetivit: quod bellum exspectatione Pompeii attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum ac sepultum. Testes vero jam omnes oræ atque omnes exteræ gentes ac nationes, denique maria omnia, quum universa, tum in singulis omnes sinus atque portus.

SALLUST.—*Jugurtha* XCVII.

At Jugurtha, postquam oppidum Capsam aliosque locos munitos et sibi utilîs, simul et magnam pecuniam, amiserat; ad Bocchum nuntios mittit, quam primum in Numidiam copias adduceret: prœlii faciundi tempus adesse. Quem ubi cunctari accepit, dubium belli atque pacis rationes trahere; rursus, ut antea, proximos ejus donis corrumpit; ipsique Mauro pollicetur Numidiæ tertiam partem, si aut Romani Africâ expulsi, aut, integris suis finibus, bellum compositum foret. Eo præmio illectus Bocchus, cum magnâ multitudine Jugurtham accedit. Ita, amborum exercitu conjuncto, Marium jam in hiberna proficiscentem, vix decimâ parte die reliquâ, invadunt; rati noctem, quæ jam aderat, victis sibi munimento fore; et, si vicissent,

nullo impedimento, quia locorum scientes erant; contra, Romanis utrumque casum in tenebris difficiliorem fore. Igitur, simul consul ex multis de hostium adventu cognovit, et ipsi hostes aderant; et, priusquam exercitus aut instrui, aut sarcinas colligere; denique, antequàm signum aut imperium ullum accipere quivit; equites Mauri atque Gætuli, non acie, neque ullo more prœlii, sed catervatim, uti quosque fors conglobaverat, in nostros incurrunt: qui omnes, trepidi improviso metu, attamen virtutis memores, aut arma capiebant, aut capientis alios ab hostibus defensabant: pars equos adscendere, obviam ire hostibus: pugna latrocinio magis, quam prœlio, similis fieri; sine signis, sine ordinibus, equites, pedites permixti, cædere alios, alios obtruncare; multos, contra adversos acerrime pugnantes, ab tergo circumvenire: neque virtus, neque arma satis tegere; quod hostes numero plures, et undique circumfusi erant: denique Romani veteres, novique, et ob ea, scientes belli, si quos locus aut casus conjunxerat, orbes facere; atque ita, ab omnibus partibus simul tecti et instructi, hostium vim sustentabant.

LUCAN.—*Pharsalia* I. 183.

Jam gelidas Cæsar cursu superaverat Alpes,
Ingentesque animo motus, bellumque futurum
Ceperat. Ut ventum est parvi Rubiconis ad undas,
Ingens visa duci Patriæ trepidantis imago
Clara per obscuram vultu mœstissima noctem,
Turrigero canos effundens vertice crines,
Cæsarie lacera, nudisque adstare lacertis,
Et gemitu permixta loqui: 'Quo tenditis ultra?
Quo fertis mea signa, viri? Si jure venitis,

Si cives, huc usque licet.' Tum perculit horror
Membra ducis; riguere comæ, gressusque coercens
Languor in extrema tenuit vestigia ripa.
Mox ait: 'O magnæ qui mœnia prospicis urbis
Tarpeia de rupe, Tonans, Phrygiique penates
Gentis Iuleæ, et rapti secreta Quirini,
Et residens celsa Latialis Jupiter Alba,
Vestalesque foci, summique o numinis instar
Roma, fave cœptis. Non te furialibus armis
Persequor. En, adsum, victor terraque marique
Cæsar, ubique tuus, liceat modo, nunc quoque, miles.
Ille erit, ille nocens, qui me tibi fecerit hostem.
Inde moras solvit belli, tumidumque per amnem
Signa tulit propere: sicut squalentibus arvis
Æstiferæ Libyes viso leo comminus hoste
Subsedit dubius, totam dum colligit iram;
Mox ubi se sævæ stimulavit verbere caudæ
Erexitque jubas, vasto et grave murmur hiatu
Infremuit: tum, torta levis si lancea Mauri
Hæreat, aut latum subeant venabula pectus,
Per ferrum, tanti securus vulneris, exit.

Livy, XXXVIII. 7.

Itaque cum aperta vi parum procederet consuli res, cuniculum occultum vineis ante contecto loco agere instituit. Et aliquamdiu, cum dies noctesque in opere essent, non solum sub terra fodientes sed egerentes etiam humum fefellere hostem. Cumulus repente terræ eminens index operis oppidanis fuit, pavidique ne jam subrutis muris facta in urbem via esset, fossam intra murum e regione ejus operis quod vineis contectum erat ducere instituunt. Cujus ubi ad tantam

altitudinem quantæ esse solum infimum cuniculi poterat pervenerunt, silentio facto pluribus locis aure admota sonitum fodientium captabant. Quem ubi acceperunt, aperiunt rectam in cuniculum viam. Nec fuit magni operis: momento enim ad inane suspenso furculis ab hostibus muro pervenerunt. Ibi commissis operibus cum e fossa in cuniculum pateret iter, primo ipsis ferramentis, quibus in opere usi erant, dein celeriter armati etiam subeuntes occultam sub terra ediderunt pugnam; segnior deinde ea facta est, intersepientibus cuniculum, ubi vellent, nunc ciliciis prætentis nunc foribus raptim objectis. Nova etiam haud magni operis adversus eos qui in cuniculo erant excogitata res. Dolium a fundo pertusum, qua fistula modica inseri posset, et ferream fistulam operculumque dolii ferreum, et ipsum pluribus locis perforatum, fecerunt. Hoc tenui pluma completum dolium ore in cuniculum verso posuerunt. Per operculi foramina prælongæ hastæ, quas sarissas vocant, ad summovendos hostes eminebant. Scintillam levem ignis inditam plumæ folle fabrili ad caput fistulæ imposito flando accenderunt. Inde non solum magna vis fumi, sed acrior etiam fœdo quodam nidore ex adusta pluma, cum totum cuniculum complesset, vix durare quisquam intus poterat.

VIRGIL.—*Georgics* I. 365.

Sæpe etiam stellas, vento impendente, videbis
Præcipites cœlo labi, noctisque per umbram
Flammarum longos a tergo albescere tractus;
Sæpe levem paleam et frondes volitare caducas
Aut summa nantes in aqua colludere plumas.
At Boreæ de parte trucis quum fulminat, et quum

Eurique Zephyrique tonat domus; omnia plenis
Rura natant fossis, atque omnis navita ponto
Humida vela legit. Numquam imprudentibus imber
Obfuit: aut illum surgentem vallibus imis
Aëriæ fugere grues, aut bucula cœlum
Suspiciens patulis captavit naribus auras,
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo,
Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.
Sæpius et tectis penetralibus extulit ova
Angustum formica terens iter, et bibit ingens
Arcus, et e pastu decedens agmine magno
Corvorum increpuit densis exercitus alis.
Jam varias pelagi volucres, et quæ Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
Certatim largos humeris infundere rores,
Nunc caput objectare fretis, nunc currere in undas,
Et studio incassum videas gestire lavandi.
Tum cornix plena pluviam vocat improba voce,
Et sola in sicca secum spatiatur arena,
Ne nocturna quidem carpentes pensa puellæ
Nescivere hiemem, testa quum ardente viderent
Scintillare oleum et putres concrescere fungos.

CICERO.—*Pro Murena* XII. 26.

Quum hoc fieri bellissime posset: 'Fundus Sabinus meus est: imo meus:' deinde judicium: noluerunt. 'Fundus,' inquit, 'qui est in agro, qui Sabinus vocatur.' Satis verbose: cedo quid postea? 'eum ego ex jure Quiritium meum esse aio.' Quid tum? 'Inde ibi ego te ex jure manu consertum voco.' Quid huic tam loquaciter litigioso responderet ille, unde petebatur, non habebat. Transit idem jure consultus, tibicinis Latini modo:

'Unde tu me,' inquit, 'ex jure manu consertum vocasti, inde ibi ego te revoco.' Prætor interea ne pulchrum se ac beatum putaret atque aliquid ipse sua sponte loqueretur, ei quoque carmen compositum est, quum cæteris rebus absurdum tum vero in illo: 'suis utrisque superstitibus præsentibus istam viam dico: inite viam.' Præsto aderat sapiens ille, qui inire viam doceret: 'redite viam.' Eodem duce redibant. Hæc jam tum apud illos barbatos ridicula, credo, videbantur: homines, quum recte atque in loco constitissent, juberi abire, ut, unde abissent, eodem statim redirent. Iisdem ineptiis fucata sunt illa omnia: 'Quando te in jure conspicio,' et hæc: 'Sed anne tu dicis qua ex causa vindicaveris?' Quæ dum erant occulta, necessario ab eis, qui ea tenebant, petebantur: postea vero pervulgata atque in manibus jactata et excussa, inanissima prudentiæ reperta sunt, fraudis autem et stultitiæ plenissima.

TACITUS.—*Historiæ* III. liii.

Ægre id pati Antonius et culpam in Mucianum conferre, cujus criminationibus eviluissent pericula sua; nec sermonibus temperabat, immodicus lingua et obsequii insolens. Literas ad Vespasianum composuit jactantius quam ad principem, nec sine occulta in Mucianum insectatione: se Pannonicas legiones in arma egisse; suis stimulis excitos Mœsiæ duces, sua constantia perruptas Alpes, occupatam Italiam, intersepta Germanorum Rætorumque auxilia. Quod discordes dispersasque Vitellii legiones equestri procella, mox peditum vi per diem noctemque fudisset, id pulcherrimum et sui operis. Casum Cremonæ bello imputandum: majore damno, plurium urbium excidiis veteres

civium discordias reipublicæ stetisse. Non se nuntiis neque epistolis, sed manu et armis imperatori suo militare; neque officere gloriæ eorum qui Asiam interim composuerint: illis Mœsiæ pacem, sibi salutem securitatemque Italiæ cordi fuisse; suis exhortationibus Gallias Hispaniasque, validissimam terrarum partem, ad Vespasianum conversas. Sed cecidisse in inritum labores, si præmia periculorum soli adsequantur qui periculis non adfuerint. Nec fefellere ea Mucianum; inde graves simultates, quas Antonius simplicius, Mucianus callide eoque implacabilius nutriebat.

JUVENAL.—*Satiræ* III. 302.

Nec tamen hæc tantum metuas; nam qui spoliet te
Non deerit, clausis domibus postquam omnis ubique
Fixa catenatæ siluit compago tabernæ.
Interdum et ferro subitus grassator agit rem:
Armato quoties tutæ custode tenentur
Et Pomptina palus et Gallinaria pinus,
Sic inde huc omnes tamquam ad vivaria currunt.
Qua fornace graves, qua non incude catenæ?
Maximus in vinclis ferri modus, ut timeas, ne
Vomer deficiat, ne marræ et sarcula desint.
Felices proavorum atavos, felicia dicas
Secula, quæ quondam sub regibus atque tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam.
His alias poteram et plures subnectere causas:
Sed jumenta vocant, et sol inclinat; eundum est.
Nam mihi commota jamdudum mulio virga
Annuit: ergo vale nostri memor, et quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino,
Me quoque ad Helvinam Cererem vestramque Dianam

Converte a Cumis : satirarum ego, ni pudet illas,
Adjutor gelidos veniam caligatus in agros.

CICERO.—*De Legibus* III. 16.

Sunt enim quattuor leges tabellariæ, quarum prima de magistratibus mandandis. Ea est Gabinia, lata ab homine ignoto et sordido. Secuta biennio post Cassia est de populi judiciis, a nobili homine lata, L. Cassio, sed, pace familiæ dixerim, dissidente a bonis atque omnes rumusculos populari ratione aucupante. Carbonis est tertia de jubendis legibus ac vetandis, seditiosi atque improbi civis, cui ne reditus quidem ad bonos salutem a bonis potuit afferre. Uno in genere relinqui videbatur vocis suffragium, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis : Dedit huic quoque judicio C. Cœlius tabellam doluitque quoad vixit se, ut opprimeret C. Popilium, nocuisse reipublicæ. Et avus quidem noster singulari virtute in hoc municipio quoad vixit restitit M. Gratidio, cujus in matrimonio sororem, aviam nostram, habebat, ferenti legem tabellariam : excitabat enim fluctus in simpulo, ut dicitur, Gratidius, quos post filius ejus Marius in Ægæo excitavit mari. Ac nostro quidem, quum res esset ad se delata, M. Scaurus consul, 'Utinam,' inquit, 'M. Cicero, isto animo atque virtute in summa republica nobiscum versari quam in municipali maluisses!' Quamobrem, quoniam non recognoscimus nunc leges reipublicæ Romanæ, sed aut repetimus ereptas aut novas scribimus, non quid hoc populo obtineri possit, sed quid optimum sit tibi dicendum puto. Nam Cassiæ legis culpam Scipio tuus sustinet, quo auctore lata esse dicitur. Tu si tabellariam tuleris, ipse præstabis

nec enim mihi placet, nec Attico nostro, quantum e vultu ejus intelligo.

SALLUST.—*Catiline* LVI.

Dum ea Romæ geruntur; Catilina, ex omni copiâ, quam ipse adduxerat, et Manlius habuerat, duas legiones instituit; cohortes pro numero militum complet: dein, uti quisque voluntarius, aut ex sociis in castra venerat, æqualiter distribuerat; ac brevi spatio legiones numero hominum expleverat; cum initio non amplius duobus millibus habuisset. Sed, ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa: ceteri, uti quemque casus armaverat, sparos, aut lanceas, alii præacutas sudes, portabant. Sed, postquam Antonius cum exercitu adventabat, Catilina per montes iter facere: modo ad urbem, modo in Galliam versus castra movere; hostibus occasionem pugnandi non dare. Sperabat propediem magnas copias se habiturum, si Romæ socii incepta patravissent. Interea servitia repudiabat, cujus initio ad eum magnæ copiæ concurrebant, opibus conjurationis fretus: simul alienum suis rationibus videri, causam civium cum servis fugitivis communicâsse. Sed, postquam in castra nuntius pervenit, Romæ conjurationem patefactam; de Lentulo et Cethego, ceterisque, quos supra memoravi, supplicium sumptum; plerique, quos ad bellum spes rapinarum aut novarum rerum studium illexerat, dilabuntur: reliquos Catilina per montes asperos, magnis itineribus, in agrum Pistoriensem abducit; eo consilio, uti per tramites occulte profugeret in Galliam. At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno præsidebat, ex difficultate rerum eadem illa existumans, quæ supra diximus,

Catilinam agitare. Igitur, ubi iter ejus ex perfugis cognovit, castra propere movit, ac sub ipsis radicibus montium consedit, qua illi descensus erat in Galliam properanti. Neque tamen Antonius longe aberat; utpote qui, magno exercitu, locis æquioribus expeditos in fugam sequeretur. Sed Catilina, postquam vidit montibus atque copiis hostium sese clausum, in urbe res adversas, neque fugæ, neque præsidii, ullam spem; optimum factum ratus in tali re fortunam belli tentare, statuit cum Antonio quam primum confligere.

VIRGIL.—*Eclogue* VI. 31.

Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque animæque marisque fuissent
Et liquidi simul ignis; ut his exordia primis
Omnia et ipse tener mundi concreverit orbis;
Tum durare solum et discludere Nerea ponto
Cœperit et rerum paullatim sumere formas;
Jamque novum terræ stupeant lucescere solem
Altius, atque cadant submotis nubibus imbres,
Incipiant silvæ cum primum surgere, cumque
Rara per ignaros errent animalia montes,
Hinc lapides Pyrrhæ jactos, Saturnia regna,
Caucasiasque refert volucres furtumque Promethei.
Tum canit Hesperidum miratam mala puellam;
Tum Phaëthontiadas musco circumdat amaræ
Corticis, atque solo proceras erigit alnos.
Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas in montes ut duxerit una sororum,
Utque viro Phœbi chorus adsurrexerit omnis;
Ut Linus hæc illi divino carmine pastor,
Floribus atque apio crinis ornatus amaro,

Dixerit, 'Hos tibi dant calamos, en accipe, Musæ,
Ascræo quos ante seni, quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynei nemoris dicatur origo,
Ne quis sit lucus, quo se plus jactet Apollo.'

Livy.—XXIII. xxxiii.

In hanc dimicationem duorum opulentissimorum in terris populorum omnes reges gentesque animos intenderant, inter quos Phillipus Macedonum rex eo magis, quod propior Italiæ ac mari tantum Ionio discretus erat. Is ubi primum fama accepit Hannibalem Alpis transgressum, ut bello inter Romanum Pœnumque orto lætatus erat, ita, utrius populi mallet victoriam esse, incertis adhuc viribus fluctuatus animo fuerat. Postquam tertia jam pugna, tertia jam victoria cum Pœnis erat, ad fortunam inclinavit legatosque ad Hannibalem misit; qui vitantes portus Brundisinum Tarentinumque, quia custodiis navium Romanarum tenebantur, ad Laciniæ Junonis templum in terram egressi sunt. Inde per Apuliam petentes Capuam media in præsidia Romana illati sunt, deductique ad Valerium Lævinum prætorem circa Luceriam castra habentem. Ibi intrepide Xenophanes legationis princeps a Philippo rege se missum ait ad amicitiam societatemque jungendam cum populo Romano; mandata habere ad consules ac senatum populumque Romanum. Prætor inter defectiones veterum sociorum nova societate tam clari regis lætus admodum hostes pro hospitibus comiter accepit. Dat qui prosequantur, itinera cum cura demonstrent, quæ loca quosque saltus aut Romanus aut hostes teneant. Xenophanes per præsidia

Romana in Campaniam, inde qua proximum fuit in castra Hannibalis pervenit, fœdusque cum eo atque amicitiam jungit legibus his, ut Philippus rex quam maxima classe—ducentas autem naves videbatur effecturus—in Italiam trajiceret et vastaret maritimam oram, bellum pro parte sua terra marique gereret; ubi debellatum esset, Italia omnis cum ipsa urbe Roma Carthaginiensium atque Hannibalis esset prædaque omnis Hannibali cederet; perdomita Italia navigarent in Græciam bellumque cum quibus regi placeret gererent; quæ civitates continentis quæque insulæ ad Macedoniam vergunt, eæ Philippi regnique ejus essent.

HORACE.—*Ars Poetica* 270–284.

At vestri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales: nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati, si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.
Ignotum tragicæ genus invenisse Camenæ
Dicitur et plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ora.
Post hunc personæ pallæque repertor honestæ
Æschylus et modicis instravit pulpita tignis
Et docuit magnumque loqui nitique cothurno.
Successit vetus his comœdia, non sine multa
Laude; sed in vitium libertas excidit et vim
Dignam lege regi; lex est accepta chorusque
Turpiter obticuit sublato jure nocendi.

324–329.

Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. Dicat

Filius Albini, 'Si de quincunce remota est
Uncia, quid superat?' Poteras dixisse, 'Triens.' 'Eu!
Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit?'
'Semis.'

CICERO.—*Philippica* II. xxxii. 82.

Atque ex illo die recordamini ejus usque ad Idus Martias consulatum. Quis umquam apparitor tam humilis, tam abjectus? Nihil ipse poterat: omnia rogabat: caput in aversam lecticam inserens, beneficia quæ venderet a collega petebat. Ecce Dolabellæ comitiorum dies: sortitio prærogativæ: quiescit. Renunciatur: tacet. Prima classis vocatur: renunciatur: deinde ita, ut adsolet, suffragia: tum secunda classis: quæ omnia sunt citius facta quam dixi. Confecto negotio bonus augur—C. Lælium diceres—ALIO DIE inquit. O impudentiam singularem! Quid videras? quid senseras? quid audieras? Nec enim te de cœlo servasse dixisti nec hodie dicis. Id igitur obvenit vitium, quod tu jam Kalendis Januariis futurum esse provideras et tanto ante prædixeras. Ergo hercule magna, ut spero, tua potius quam reipublicæ calamitate ementitus es auspicia: obstrinxisti religione populum Romanum, augur auguri, consul consuli obnunciasti. Nolo plura, ne acta Dolabellæ videar convellere, quæ necesse est aliquando ad nostrum collegium deferantur. Sed adrogantiam hominis insolentiamque cognoscite. Quam diu tu voles, vitiosus consul Dolabella: rursus, quum voles, salvis auspiciis creatus. Si nihil est, quum augur iis verbis nunciat, quibus tu nunciasti, confitere te, quum ALIO DIE dixeris, sobrium non fuisse: sin est aliqua vis in istis verbis, ea quæ sit augur a collega requiro.

VIRGIL.—*Eclogue* IV. 3.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas;
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Jam redit et Virgo; redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina: tuus jam regnat Apollo.
Teque adeo decus hoc ævi, te Consule, inibit,
Pollio; et incipient magni procedere menses.
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.
Ille deûm vitam accipiet, divisque videbit
Permixtos heroas, et ipse videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu,
Errantes ederas passim cum baccare tellus
Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Ubera; nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet et serpens, et fallax herba veneni
Occidet; Assyrium vulgo nascetur amomum.
At simul heroum laudes et facta parentis
Jam legere, et quæ sit poteris cognoscere virtus;
Molli paullatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva;
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis,
Quæ tentare Thetin ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ jubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo

Delectos heroas; erunt etiam altera bella;
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

CICERO.—*Pro Archia* XII.

Quare conservate, judices, hominem pudore eo, quem amicorum videtis comprobari quum dignitate, tum etiam vetustate; ingenio autem tanto, quantum id convenit existimari, quod summorum hominum ingeniis expetitum esse videatis; causa vero ejusmodi, quæ beneficio legis, auctoritate municipii, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Quæ quum ita sint, petimus a vobis, judices, si qua non modo humana, verum etiam divina in tantis negotiis commendatio debet esse, ut eum, qui vos, qui vestros imperatores, qui populi Romani res gestas semper ornavit; qui etiam his recentibus nostris vestrisque domesticis periculis æternum se testimonium laudum daturum esse profitetur; quique est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti atque dicti, sic in vestram accipiatis fidem, ut humanitate vestra levatus potius, quam acerbitate violatus esse videatur. Quæ de causa pro mea consuetudine breviter simpliciterque dixi, judices, ea confido probata esse omnibus: quæ non fori neque judiciali consuetudine et de hominis ingenio et communiter de ipsius studio locutus sum, ea, judices, a vobis spero esse in bonam partem accepta, ab eo, qui judicium exercet, certo scio.

TACITUS.—*Historiæ* IV. xlii.

'Hoc certe,' inquit, 'Nero non coëgit, nec dignitatem aut salutem illa sævitia redemisti. Sane toleremus istorum defensiones, qui perdere alios quam periclitari

ipsi maluerunt: te securum reliquerat exul pater et divisa inter creditores bona, nondum honorum capax ætas, nihil quod ex te concupisceret Nero, nihil quod timeret. Libidine sanguinis et hiatu præmiorum ignotum adhuc ingenium et nullis defensionibus expertum cæde nobili imbuisti, cum ex funere rei publicæ raptis consularibus spoliis, septuagiens sestertio saginatus et sacerdotio fulgens, innoxios pueros, illustres senes, conspicuas fœminas eadem ruina prosterneres, cum segnitiam Neronis incusares, quod per singulas domos seque et delatores fatigaret: posse universum senatum una voce subverti. Retinete, patres conscripti, et reservate hominem tam expediti consilii, ut omnis ætas instructa sit, et quo modo senes nostri Marcellum, Crispum, juvenes Regulum imitentur. Invenit etiam æmulos infelix nequitia: quid si floreat vigeatque? et quem adhuc quæstorium offendere non audemus, prætorium et consularem visuri sumus? an Neronem extremum dominorum putatis? idem crediderant qui Tiberio, qui Gaio superstites fuerunt, cum interim intestabilior et sævior exortus est. Non timemus Vespasianum; ea principis ætas, ea moderatio: sed diutius durant exempla quam mores. Elanguimus, patres conscripti, nec jam ille senatus sumus, qui occiso Nerone delatores et ministros more majorum puniendos flagitabat. Optimus est post malum principem dies primus.'

TACITUS.—*Annales* XI. vi. vii.

Talia dicente consule designato, consentientibus aliis, parabatur sententia, qua lege repetundarum tenerentur, cum Suillius et Cossutianus et ceteri, qui non judicium, quippe in manifestos, sed pœnam

statui videbant, circumsistunt Cæsarem, ante acta deprecantes.

Et postquam adnuit, ita agere incipiunt: quem illum tanta superbia esse, ut æternitatem famæ spe præsumat? usui et rebus subsidium præparari, ne quis inopia advocatorum potentibus obnoxius sit. Neque tamen eloquentiam gratuito contingere; omitti curas familiares, ut quis se alienis negotiis intendat. Multos militia, quosdam exercendo agros tolerare vitam; nihil a quoquam expeti, nisi cujus fructus ante providerit. Facile Asinium et Messallam, inter Antonium et Augustum bellorum præmiis refertos, aut ditium familiarum heredes Æserninos et Arruntios magnum animum induisse. Prompta sibi exempla, quantis mercedibus P. Clodius aut C. Curio contionari soliti sint. Se modicos senatores, qui quieta republica nulla nisi pacis emolumenta peterent. Cogitaret plebem, quæ toga enitesceret: sublatis studiorum pretiis etiam studia peritura. Ut minus decora hæc, ita haud frustra dicta princeps ratus, capiendis pecuniis modum statuit usque ad dena sestertia, quem egressi repetundarum tenerentur.

PHÆDRUS, Book I.

FAB. XXIII.—*Canis fidelis.*

Repente liberalis stultis gratus est,
Rerum peritis irritos tendit dolos.
Nocturnus quum fur panem misisset cani,
Objecto tentans an cibo posset capi,
'Heus,' inquit, 'linguam vis meam præcludere,
Ne latrem pro re domini? Multum falleris.
Namque ista subita me jubet benignitas
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.'

FAB. XXIV.—*Rana rupta et Bos.*

Inops, potentem dum vult imitari, perit.
In prato quondam rana conspexit bovem
Et tacta invidia tantæ magnitudinis
Rugosam inflavit pellem : tum natos suos
Interrogavit, an bove esset latior.
Illi negarunt. Rursus intendit cutem
Majore nisu et simili quæsivit modo,
Quis major esset. Illi dixerunt, bovem.
Novissime indignata, dum vult validius
Inflare sese, rupto jacuit corpore.

FAB. XXV.—*Canes et Corcodili.*

Consilia qui dant prava cautis hominibus,
Et perdunt operam et deridentur turpiter.
Canes currentes bibere in Nilo flumine,
A corcodilis ne rapiantur, traditum est.
Igitur quum currens bibere cœpisset canis,
Sic corcodilus, 'Quamlibet lambe otio,
Pota, accede : noli timere,' sedulo
Ait; 'at noli vereri,' inquit. At ille,
'Facerem hercule,
Nisi esse scirem carnis te cupidum meæ.'

CICERO.—*In Verrem* IV. 2, 3.

Nego in Sicilia tota, tam locupleti, tam vetere provinciâ, tot oppidis, tot familiis tam copiosis, ullum vas argenteum, ullum Corinthium aut Deliacum fuisse, ullam gemmam, aut margaritam, quidquam ex auro aut ebore factum, signum ullum aëneum, marmoreum, eburneum; nego ullam picturam neque in tabula, neque

textilem fuisse, quin conquisierit, inspexerit; quod placitum sit, abstulerit.

Magnum videor dicere: attendite etiam, quemadmodum dicam. Non enim verbi, neque criminis augendi causâ complector omnia. Quum dico, nihil istum ejusmodi rerum in tota provincia reliquisse, latine me, scitote, non accusatorie loqui. Etiam planius: nihil in ædibus cujusquam, ne in oppidis quidem; nihil in locis communibus, ne in fanis quidem; nihil apud Siculum, nihil apud civem Romanum; denique nihil istum, quod ad oculos animumque acciderit, neque privati, neque publici, neque profani, neque sacri, tota in Sicilia reliquisse.

Unde igitur potius incipiam, quam ab ea civitate, quæ tibi una in amore atque in deliciis fuit? Aut ex quo potius numero, quam ex ipsis laudatoribus tuis? Faciliùs enim perspicietur, qualis apud eos fueris, qui te oderunt, qui accusant, qui persequuntur, quum apud tuos Mamertinos inveniare improbissima ratione prædatus.

Livy.—XXIII. x.

Postero die senatus frequens datus Hannibali. Ubi prima ejus oratio perblanda ac benigna fuit, qua gratias egit Campanis, quod amicitiam suam Romanæ societati præposuissent, et inter cetera magnifica promissa pollicitus, brevi caput Italiæ omni Capuam fore, juraque inde cum ceteris populis Romanum etiam petiturum. Unum esse exsortem Punicæ amicitiæ fœderisque secum facti, quem neque esse Campanum neque dici debere, Magium Decium. Eum postulare, ut sibi dedatur, ac se præsente de eo referatur senatusque consultum fiat. Omnes in eam sententiam

ierunt, quamquam magnæ parti et vir indignus ea calamitate et haud parvo initio minui videbatur jus libertatis. Egressus curia in templo magistratuum consedit, comprehendique Decium Magium atque ante pedes destitutum causam dicere jussit. Qui cum manente ferocia animi negaret lege fœderis id cogi posse, tum injectæ catenæ ducique ante lictorem in castra est jussus. Quoad capite aperto est ductus, contionabundus incessit ad circumfusam undique multitudinem vociferans: 'Habetis libertatem, Campani, quam petistis. Foro medio, luce clara, videntibus vobis nulli Campanorum secundus vinctus ad mortem rapior. Quid violentius capta Capua fieret? Ite obviam Hannibali, exornate urbem diemque adventus ejus consecrate, ut hunc triumphum de cive vestro spectetis.' Hæc vociferante cum moveri vulgus videretur, obvolutum caput est, ociusque rapi extra portam jussus. Ita in castra perducitur; extemploque impositus in navem et Carthaginem missus, ne motu aliquo Capuæ ex indignitate rei orto senatum quoque pœniteret dediti principis, et legatione missa ad repetendum eum ne aut negando rem, quam primum peterent, offendendi sibi novi socii, aut tribuendo habendus Capuæ esset seditionis ac turbarum auctor. Navem Cyrenas detulit tempestas, quæ tum in ditione regum erant. Ibi cum Magius ad statuam Ptolemæi regis confugisset, deportatus a custodibus Alexandream ad Ptolemæum, cum eum docuisset contra jus fœderis vinctum se ab Hannibale esse, vinclis liberatur, permissumque ut rediret, seu Romam seu Capuam mallet. Nec Magius Capuam sibi tutam dicere, et Romam eo tempore, quo inter Romanos Campanosque bellum sit, transfugæ magis quam hospitis fore domicilium: nusquam malle

quam in regno ejus vivere, quem vindicem atque auctorem habeat libertatis.

MARTIAL.—*Epigrammata* II. xiv.

Nil intemptatum Selius, nil linquit inausum,
  Cenandum quotiens jam videt esse domi.
Currit ad Europen et te, Pauline, tuosque
  Laudat Achilleos, sed sine fine, pedes.
Si nihil Europe fecit, tum Septa petuntur,
  Si quid Philyrides præstet et Æsonides.
Hinc quoque deceptus Memphitica templa frequentat,
  Assidet et cathedris, mæsta juvenca, tuis.
Inde petit centum pendentia tecta columnis,
  Illinc Pompei dona nemusque duplex.
Nec Fortunati spernit nec balnea Fausti,
  Nec Grylli tenebras Æoliamque Lupi:
Nam ternis iterum thermis iterumque lavatur.
  Omnia cum fecit, sed renuente deo,
Lotus ad Europes tepidæ buxeta recurrit,
  Si quis ibi serum carpat amicus iter.
Per te perque tuam, vector lascive, puellam,
  Ad cenam Selium tu rogo, taure, voca.

HORACE.—*Satira* I. v. 50.

Hinc nos Cocceî recipit plenissima villa,
Quæ super est Claudî cauponas. Nunc mihi paucis
Sarmenti scurræ pugnam Messique Cicirri,
Musa, velim memores; et quo patre natus uterque
Contulerit lites. Messî clarum genus Osci:
Sarmenti domina exstat. Ab his majoribus orti
Ad pugnam venere. Prior Sarmentus; equi te
Esse feri similem dico. Ridemus; et ipse

Messius, Accipio: caput et movet. O! tua cornu
Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres; cum
Sic mutilus minitaris? At illi fœda cicatrix
Setosam lævi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus,
Pastorem saltaret uti Cyclopa, rogabat:
Nil illi larvâ aut tragicis opus esse cothurnis.
Multa Cicirrus ad hæc: Donasset jamne catenam
Ex voto Laribus? quærebat: scriba quod esset,
Deterius nihilo dominæ jus esse. Rogabat
Denique, cur unquam fugisset: cui satis una
Farris libra foret, gracili sic, tamque pusillo?
Prorsus jucunde cenam produximus illam.

CICERO.—*De Senectute* LXXXV.

O præclarum diem, quum ad illud divinum animorum concilium cœtumque proficiscar, quumque ex hac turba et colluvione discedam! Proficiscar enim non ad eos solum viros de quibus ante dixi, verum etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate præstantior: cujus a me corpus crematum est (quod contra decuit ab illo meum); animus vero non me deserens, sed respectans, in ea profecto loca discessit, quo mihi ipsi cernebat esse veniendum. Quem ego meum casum fortiter ferre visus sum, non quo æquo animo ferrem; sed me ipse consolabar, existimans non longinquum inter nos digressum et discessum fore.

His mihi rebus, Scipio (id enim te cum Lælio admirari solere dixisti), levis est senectus, nec solùm non molesta, sed etiam jucunda. Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, lubenter erro; nec mihi hunc errorem, quo delector,

dum vivo, extorqueri volo. Sin mortuus (ut quidam minuti philosophi censent) nihil sentiam, non vereor ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant. Quod si non sumus immortales futuri, tamen exstingui homini suo tempore optabile est. Nam habet natura, ut aliarum omnium rerum, sic vivendi modum. Senectus autem ætatis est peractio, tanquam fabulæ, cujus defatigationem fugere debemus, præsertim adjunctâ satietate. Hæc habui de senecute quæ dicerem. Ad quam utinam perveniatis! ut ea, quæ ex me audistis, re experti, probare possitis.

CICERO.—*De Oratore* I. liv.

Imitatus est homo Romanus et consularis veterem illum Socratem, qui, quum omnium sapientissimus esset sanctissimeque vixisset, ita in judicio capitis pro se ipse dixit, ut non supplex aut reus, sed magister aut dominus videretur esse judicum. Quin etiam, quum ei scriptam orationem disertissimus orator Lysias attulisset, quam, si ei videretur, edisceret, ut ea pro se in judicio uteretur, non invitus legit et commode scriptam esse dixit; sed, inquit, ut, si mihi calceos Sicyonios attulisses, non uterer, quamvis essent habiles et apti ad pedem, quia non essent viriles, sic illam orationem disertam sibi et oratoriam videri, fortem et virilem non videri. Ergo ille quoque damnatus est, neque solum primis sententiis, quibus tantum statuebant judices, damnarent an absolverent, sed etiam illis, quas iterum legibus ferre debebant. Erat enim Athenis, reo damnato, si fraus capitalis non esset, quasi pœnæ æstimatio; et sententia quum judicibus daretur, interrogabatur reus, quam quasi aestimationem

commeruisse se maxime confiteretur; quod quum interrogatus Socrates esset, respondit sese meruisse, ut amplissimis honoribus et præmiis decoraretur et ut ei victus quotidanus in Prytaneo publice præberetur, qui honos apud Græcos maximus habetur. Cujus responso judices sic exarserunt, ut capitis hominem innocentissimum condemnarent.

VIRGIL.—*Æneid* XII.

Incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Consurgunt gemitu Rutuli; totusque remugit
Mons circum, et vocem late nemora alta remittunt.
Ille, humilis supplexque, oculos dextramque precantem
Protendens: 'Equidem merui, nec deprecor,' inquit:
'Utere sorte tuâ: miseri te si qua parentis
Tangere cura potest, oro (fuit et tibi talis
Anchises genitor), Dauni miserere senectæ;
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis. Vicisti; et victum tendere palmas
Ausonii vidêre; tua est Lavinia conjux:
Ulterius ne tende odiis.' Stetit acer in armis
Æneas, volvens oculos, dextramque repressit:
Et jam jamque magis cunctantem flectere sermo
Cœperat, infelix humero quum apparuit alto
Balteus et notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri; victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum insigne gerebat.
Ille, oculis postquam sævi monumenta doloris
Exuviasque hausit, furiis accensus et irâ
Terribilis,—'Tune hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? *Pallas te hoc vulnere, Pallas*

Immolat, et pœnam scelerato ex sanguine sumit.'
Hoc dicens, ferrum adverso sub pectore condit
Fervidus : ast illi solvuntur frigore membra ;
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

CICERO.—*In Verrem* IV. xxii.

Hic nolite exspectare, dum ego hoc crimen agam ostiatim, ab Æschylo Tyndaritano istum pateram abstulisse, a Thrasone item Tyndaritano patellam, a Nymphodoro Agrigentino turibulum. Quum testes ex Siciliâ dabo, quem volet, ille eligat, quem ego interrogem de patellis, et de turibulis: non modo oppidum nullum; domus nulla paulo locupletior expers hujus injuriæ reperietur; qui quum in convivium venisset, si quidquam cælati adspexerat, manum abstinere, judices, non poterat. Cn. Pompeius est Philo, qui fuit Tyndaritanus; is cenam isti dabat apud villam in Tyndaritano; fecit, quod Siculi non audebant; ille, civis Romanus quod erat, impunius id se facturum putavit: apposuit patellam, in quâ sigilla erant egregia. Iste continuo ut vidit, non dubitavit illud insigne penatium hospitaliumque deorum ex hospitali mensa tollere: sed tamen, quod antea de istius abstinentia dixeram, sigillis avulsis reliquum argentum sine ullâ avaritiâ reddidit.

Quid? Eupolemo Calactino, homini nobili, Lucullorum hospiti ac perfamiliari, qui nunc apud exercitum cum L. Lucullo est, non item fecit? Cenabat apud eum; argentum ille cæterum purum apposuerat, ne purus ipse relinqueretur: duo pocula non magna, verumtamen cum emblematis. Hic, quasi festivum acroama, ne sine corollario de convivio discederet,

ibidem, convivis inspectantibus, emblemata avellenda curavit. Neque ego nunc istius facta omnia enumerare conor: neque opus est, nec fieri ullo modo potest. Tantummodo uniuscujusque de variâ improbitate generis indicia apud vos, et exempla profero. Neque enim ita se gessit in his rebus, tanquam rationem aliquando esset redditurus: sed prorsus ita, quasi aut reus nunquam esset futurus, aut, quo plura abstulisset, eo minore periculo in judicium esset venturus: qui hæc, quæ dico, jam non occulte, non per amicos atque interpretes, sed palam de loco superiore ageret pro imperio et potestate.

Catinam quum venisset, oppidum locuples, honestum, copiosum, Dionysiarchum ad se proagorum, hoc est, summum magistratum, vocari jubet: ei palam imperat, ut omne argentum, quod apud quemque esset Catinæ, conquirendum curaret, et ad se transferendum. Philarchum Centuripinum, primum hominem genere, virtute, pecunia, non hoc idem juratum dicere audîstis, sibi istum negotium dedisse atque imperavisse, ut Centuripis, in civitate totius Siciliæ multo maxima et locupletissima, omne argentum conquireret, et ad se comportari juberet? Agyrio similiter istius imperio vasa Corinthia per Apollodorum, quem testem audîstis, Syracusas deportata sunt.

Horace.—*Satira* I. ix.

Ibam forte Via Sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum, et totus in illis.
Accurrit quidam notus mihi nomine tantum;
Arreptâque manu, Quid agis, dulcissime rerum?
Suaviter, ut nunc est, inquam; et cupio omnia quæ vis.

Cum assectaretur; Numquid vis? Occupo. At ille,
Nôris nos, inquit: docti sumus. Hic ego, Pluris
Hoc, inquam, mihi eris. Misere discedere quærens,
Ire modo ocius, interdum consistere, in aurem
Dicere nescio quid puero. Cum sudor ad imos
Manaret talos; O te, Bollane, cerebri
Felicem! aiebam tacitus. Cum quidlibet ille
Garriret, vicos, urbem laudaret; ut illi
Nil respondebam; misere cupis, inquit, abire:
Jamdudum video: sed nil agis: usque tenebo:
Persequar. Hinc quo nunc iter est tibi? Nil opus est te
Circumagi: quemdam volo visere non tibi notum:
Trans Tiberim longe cubat is, prope Cæsaris hortos.
Nil habeo quod agam, et non sum piger; usque sequar te.
Demitto auriculas, ut iniquæ mentis asellus,
Cum gravius dorso subiit onus. Incipit ille:
Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies; nam quis me scribere plures,
Aut citius, possit versus? Quis membra movere
Mollius? Invideat quod et Hermogenes, ego canto.
Interpellandi locus hic erat: Est tibi mater,
Cognati, quîs te salvo est opus? Haud mihi quisquam:
Omnes composui. Felices! nunc ego resto.
Confice: namque instat fatum mihi triste, Sabella
Quod puero cecinit divina mota anus urna:
'Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,
Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra;
Garrulus hunc quando consumet cunque: loquaces,
Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit ætas.'

CICERO.—*De Oratore* III. 37.

Tum Crassus: Pervulgatas res requiris, inquit, et tibi non incognitas, Sulpici. Quis enim de isto genere non docuit, non instituit, non etiam scriptum reliquit? Sed geram morem et ea dumtaxat, quæ mihi nota sunt, breviter exponam tibi; censebo tamen ad eos, qui auctores et inventores sunt harum sane minutarum rerum, revertendum. Omnis igitur oratio conficitur ex verbis; quorum primum nobis ratio simpliciter videnda est, deinde conjuncte. Nam est quidam ornatus orationis, qui ex singulis verbis est; alius, qui ex continuatis conjunctisque constat. Ergo utemur verbis aut iis, quæ propria sunt et certa quasi vocabula rerum, pæne una nata cum rebus ipsis; aut iis, quæ transferuntur et quasi alieno in loco collocantur; aut iis, quæ novamus et facimus ipsi. In propriis igitur est verbis illa laus oratoris, ut abjecta atque obsoleta fugiat, lectis atque illustribus utatur, in quibus plenum quiddam et sonans inesse videatur. Sed in hoc verborum genere propriorum delectus est habendus quidam atque is aurium quodam judicio ponderandus; in quo consuetudo etiam bene loquendi valet plurimum. Itaque hoc, quod vulgo de oratoribus ab imperitis dici solet: 'Bonis hic verbis,' aut: 'Aliquis non bonis utitur,' non arte aliqua perpenditur, sed quodam quasi naturali sensu judicatur: in quo non magna laus est vitare vitium — quamquam est magnum, — verum tamen hoc quasi solum quoddam atque fundamentum est, verborum usus et copia bonorum. Sed quid ipse ædificet orator et in quo adjungat artem, id esse nobis quærendum atque explicandum videtur.

MARTIAL.—*Epigrammata* VIII. 33.

De prætoricia folium mihi, Paule, corona
  Mittis et hoc phialæ nomen habere jubes.
Hac fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum,
  Pallida quam rubri diluit unda croci.
An magis astuti derasa est ungue ministri
  Bractea, de fulcro quam reor esse tuo?
Illa potest culicem longe sentire volantem
  Et minimi pinna papilionis agi.
Exiguæ volitat suspensa vapore lucernæ
  Et leviter fuso rumpitur icta mero.
Hoc linitur sputo Jani caryota Kalendis,
  Quam fert cum parco sordidus asse cliens.
Lenta minus gracili crescunt colocasia filo,
  Plena magis nimio lilia sole cadunt:
Nec vaga tam tenui discurrit aranea tela,
  Tam leve nec bombyx pendulus urget opus.
Crassior in facie vetulæ stat creta Fabullæ,
  Crassior offensæ bulla tumescit aquæ;
Fortior et tortos servat vesica capillos
  Et mutat Latias spuma Batava comas.
Hac cute Ledæo vestitur pullus in ovo,
  Talia lunata splenia fronte sedent.
Quid tibi cum phiala, ligulam cum mittere possis,
  Mittere cum possis vel cochleare mihi?
Magna nimis loquimur, cochleam cum mittere possis,
  Denique cum possis mittere, Paule, nihil.

HORACE.—*Satira* I. ix. 60.

Hæc dum agit, ecce
Fuscus Aristius occurrit, mihi carus, et illum
Qui pulchre nôsset. Consistimus. Unde venis? et

Quo tendis? rogat, et respondet. Vellere cœpi,
Et prensare manu lentissima brachia, nutans,
Distorquens oculos, ut me eriperet. Male salsus
Ridens dissimulare: meum jecur urere bilis.
Certe nescio quid secreto velle loqui te
Aiebas mecum. Memini bene; sed meliori
Tempore dicam; hodie tricesima sabbata. Vin' tu
Curtis Judæis oppedere? Nulla mihi, inquam,
Religio est. At mî; sum paulo infirmior, unus
Multorum: ignosces; alias loquar. Hunccine solem
Tam nigrum surrexe mihi! Fugit improbus, ac me
Sub cultro linquit. Casu venit obvius illi
Adversarius, et, Quo tu, turpissime? magna
Exclamat voce; et, Licet antestari? Ego vero
Oppono auriculam. Rapit in jus; clamor utrinque,
Undique concursus. Sic me servavit Apollo.

CICERO.—*Tusculanæ Quæstiones* I. xxxi.

Cicero, Auditor.

Tota enim philosophorum vita, ut ait idem, commentatio mortis est. Nam quid aliud agimus, quum a voluptate, id est, a corpore, quum a re familiari, quæ est ministra et famula corporis, quum a republica, quum a negotio omni sevocamus animum? quid, inquam, tum agimus, nisi animum ad se ipsum advocamus, secum esse cogimus, maximeque a corpore, abducimus? Secernere autem a corpore animum, nec quidquam aliud est, quam emori discere. Quare hoc commentemur, mihi crede, disjungamusque nos a corporibus, id est, consuescamus mori. Hoc et, dum erimus in terris, erit illi cœlesti vitæ simile; et, quum illuc ex his vinculis emissi feremur, minus tardabitur

cursus animorum. Nam qui in compedibus corporis semper fuerunt, etiam quum soluti sunt, tardius ingrediuntur, ut ii, qui ferro vincti multos annos fuerunt. Quo quum venerimus, tum denique vivemus. Nam hæc quidem vita mors est; quam lamentari possem, si liberet.

Aud. Satis quidem tu in Consolatione es lamentatus: quam quum lego, nihil malo, quam has res relinquere; his vero modo auditis, multo magis.

Cic. Veniet tempus, et quidem celeriter, et sive retractabis, sive properabis: volat enim ætas. Tantum autem abest [ab eo], ut malum mors sit, quod tibi dudum videbatur, ut verear, ne homini nihil sit, non malum aliud certe, sed nihil bonum aliud, potius: si quidem vel dii ipsi, vel cum diis futuri sumus.

Aud. Quid refert? adsunt enim, qui hæc non probent.

Cic. Ego autem nunquam ita te in hoc sermone dimittam, ulla uti ratione mors tibi videri malum possit.

Aud. Quî potest, quum ista cognoverim?

Cic. Quî possit, rogas? catervæ veniunt contra dicentium, non solum epicureorum, quos equidem non despicio, sed nescio quo modo doctissimus quisque contemnit; acerrime autem, deliciæ meæ, Dicæarchus contra hanc immortalitatem disseruit. Is enim tres libros scripsit, qui Lesbiaci vocantur, quod Mitylenis sermo habetur, in quibus vult efficere animos esse mortales. Stoici autem usuram nobis largiuntur, tanquam cornicibus: diu mansuros aiunt animos; semper, negant.

JUVENAL.—*Satira* X. 273.

Festino ad nostros et regem transeo Ponti
Et Crœsum, quem vox justi facunda Solonis
Respicere ad longæ jussit spatia ultima vitæ.
Exilium et carcer Minturnarumque paludes
Et mendicatus victa Carthagine panis
Hinc causas habuere. Quid illo cive tulisset
Natura in terris, quid Roma beatius umquam,
Si circumducto captivorum agmine et omni
Bellorum pompa animam exhalasset opimam,
Quum de Teutonico vellet descendere curru?
Provida Pompeio dederat Campania febres
Optandas, sed multæ urbes et publica vota
Vicerunt; igitur fortuna ipsius et urbis
Servatum victo caput abstulit. Hoc cruciatu
Lentulus, hac pœna caruit ceciditque Cethegus
Integer, et jacuit Catilina cadavere toto.

TERENCE.—*Adelphi* IV. ii.

Sy. Nostin' porticum apud macellum hac deorsum?
De. Quid ni noverim?
Sy. Præterito hac recta platea sursum: ubi eo veneris,
Clivos deorsum vorsum est; hac te præcipitato: postea
Est ad hanc manum sacellum: ibi angiportum propter est;
De. Qua nam? *Sy.* Illi ubi etiam caprificus magna est. *De.* Novi. *Sy.* Hac pergito.
De. Id quidem angiportum non est pervium.
Sy. Verum hercle; vah,

Censen' hominem me esse? erravi: in porticum rursum redi:
Sane hac multo propius ibis et minor est erratio.
Scin' Cratini hujus ditis ædis? *De.* Scio. *Sy.* Ubi eas præterieris,
Ad sinistram hac recta platea; ubi ad Dianæ veneris,
Ito ad dextram: prius quam ad portam venias, apud ipsum lacum
Est pistrilla et exadvorsum fabrica: ibist. *De.* Quid ibi facit?
Sy. Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit.
De. Ubi potetis vos? bene sane. Sed cesso ad eum pergere?
Sy. I sane: ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium.
Æschinus odiose cessat: prandium corrumpitur:
Ctesipho autem in amorest totus. Ego jam prospiciam mihi:
Nam jam adibo atque unum quicquid, quod quidem erit bellissimum,
Carpam et cyathos sorbillans paulatim hunc producam diem.

PERSIUS.—*Satira* II. 52–75.

Si tibi crateras argenti incusaque pingui
Auro dona feram, sudes et pectore lævo
Excutias guttas, lætari prætrepidum cor.
Hinc illud subiit, auro sacras quod ovato
Perducis facies: nam fratres inter aënos,
Somnia pituita qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunto, sitque illis aurea barba.
Aurum vasa Numæ Saturniaque impulit æra,

Vestalesque urnas et Tuscum fictile mutat.
O curvæ in terris animæ, et cælestium inanes!
Quid juvat hoc, templis nostros immittere mores
Et bona dis ex hac scélerata ducere pulpa?
Hæc sibi corrupto casiam dissolvit olivo,
Hæc Calabrum coxit vitiato murice vellus,
Hæc baccam conchæ rasisse et stringere venas
Ferventis massæ crudo de pulvere jussit.
Peccat et hæc, peccat: vitio tamen utitur; at vos
Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ a virgine puppæ.
Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messallæ lippa propago,
Compositum jus fasque animo, sanctosque recessus
Mentis, incoctum generoso pectus honesto,
Hæc cedo ut admoveam templis et farre litabo.

TERENCE.—*Adelphi* II. iv.

Æschinus, Sannio, Ctesipho.

Æ. Ubi est ílle sacrilegús? *Sa.* Me quærit. Númquidnam effert? Occidi:
Nihil vídeo. *Æ.* Ehem, opportúne: te ipsum quæro. Quid fit, Ctésipho?
In túto est omnis rés; omitte véro tristitiém tuam.
Ct. Ego illam hércle vero omítto, qui quidem te hábeam fratrem. O mi Æschine,
O mí germane; ah véreor coram in ós te laudare ámplius,
Ne id ádsentandi mágis, quam quo habeam grátum, facere exístumes.
Æ. Age inépte, quasi nunc nón norimus nós inter nos, Ctésipho.

Hoc míhi dolet, nos pæne sero scísse, et pæne in eúm locum
Redísse, ut, si omnes cúperent, tibi nil póssent auxiliárier.

Ct. Pudébat. *Æ.* Ah, stultítiast istæc, nón pudor. Tam ob párvolam
Rem pæne e patria? Túrpe dictu. Deós quæso ut istæc próhibeant.

Ct. Peccávi. *Æ.* Quid ait tándem nobis Sánnio? *Sy.* Jam mítis est.

Æ. Ego ád forum ibo, ut húnc absolvam: tu íntro ad illam, Ctésipho.

Sa. Syre, ínsta. *Sy.* Eamus: námque hic properat in Cyprum. *Sa.* Ne tám quidem:
Quamvís etiam maneo ótiosus hic. *Sy.* Reddetur, né time.

Sa. At ut ómne reddat. *Sy.* Omne reddet: táce modo, ac sequere hác. *Sa.* Sequor.

Ct. Heus, heús, Syre. *Sy.* Ehem, quid est? *Ct.* Obsecro hercle, hóminem istum inpuríssimum
Quam prímum absolvitóte; ne si mágis inritatûs siet,
Aliqua ád patrem hoc permánet, atque ego túm perpetuo périerim.

Sy. Non fiet, bono animo és: tu cum illa te íntus oblecta interim:
Et léctulos jube stérni nobis, ét parari cétera.
